[illegible] (G[illegible]).
De [illegible]. 1860

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA
DE
SCORBUTO CUM TUBERCULOSI.

QUAM

RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO

SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

DOMINO

CAROLO ALEXANDRO

MAGNO DUCE SAXONIAE VIMARIENSIUM ET ISENACENSIUM PRINCIPE LANDGRAVIO THURINGIAE MARCHIONE MISNIAE PRINCIPALI DIGNITATE COMITE HENNEBERGAE DYNASTA BLANKENHAYNII NEOSTADII ET TAUTENBURGI REL.

CONSENSU

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN LITTERARUM UNIVERSITATE JENENSI

PRO

GRADU DOCTORIS

SUMMISQUE

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS

JURIBUS ET PRIVILEGIIS

RITE OBTINENDIS

DIE VI M. AUGUSTI A. MDCCCLX

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

GUSTAVUS ROEHLER

MEILITZENSIS.

OPPONENTES

G. SCHWENKENBECHER, stud. philol., J. SCHMALZ, Dd. med.

JENÆ

TYPIS RATII.

1860



Praefatio.

Vere praeterito cum commentationis componendae data mihi permissione rem ad tractandum idoneam quaererem, unius morbum hominis, a quibus initiis, quem ad exitum processerit, describere satius esse, quam plura ejusdem morbi exempla colligere, collecta ad monographiam de morbi alicujus decursu conscribendam adhibere mihi persuasi. Qua in persuasione eo etiam confirmatus sum, quod praeter exiguitatem virium, quas voluntati meae non sufficere mihi conscius sum, propter adolescentiam meam parum mihi licuit morborum observare, quam ut de iis, quae viri in arte medicina versatissimi in aetiologia, in symptomatologia, in anatomia pathologica, in therapia etc. de morbis nos docuerunt, censuram instituerem. Quamquam ut omnes homines sic illos quoque viros doctissimos nonnunquam errore esse deceptos, cum alioquin controversia inter eos omnino esse non possit, haud facile quisquam infitiabitur.

Haec dum animo agito, aegrotum illum, quem hac dissertatione accuratius descripsi, in nosocomio, quod Jenae est, tractanti tam multa mihi, quae animadversionem excitarent caperentque, sese obtulerunt, ut dignum, qui literis describeretur, morbum existimarem. Quod ut facerem, officiosissima qua solet voluntate prae-

ceptor meus summe venerandus, professor Uhle, mihi permisit, cui quidem maximas publice agendi gratias lubentissime hanc arripio occasionem. — Atque aeger quidem cum scorbuto affectus sanationem peteret, tum etiam tuberculosi se laborare perspicua praebuit indicia. Jam vero primum morbi processum uberius enarravi, deinde iis, quae in paucis illis scorbuto affectis, quos mihi quidem observare licuit, animadverti, quaeque in libris pathologicis de hac materia repperi, cum observationibus, quas morbus hic perscriptus praebuit, diligenter comparatis, ea, quae discrepabant atque haud mediocris momenti esse videbantur, quam planissime explicavi. Sed cum quantum absim, ut iis, quae mihi proposueram, perfecte satisfecerim, nemo me magis sentiat, eos, qui hasce studiorum meorum primitias lecturiunt, ut benevolentia in me indulgentiaque uti velint, sincere et ingenue oro.

Narratio morbi.

Eduardus Lochmann, Jenensis, annos 18 natus, ut ipse profitetur, usque ad annum 15 rubicundo nitidoque ore usus est bona valetudine. Inde ad aegrotandum proclivis fuit. Sensim sensimque emacescebat atque expallescebat et perpetua tussi simul cum sputis, quibus nonnunquam etiam sanguis admixtus fuit, et doloribus pectoris laborabat. Anno proximo pleuritidem habuit, qua per totam hiemem laboravit. Ex quatuor fere hebdomadibus morbus, quo nunc vexatur, exstitit. Corpus saepe languescebat atque facillime defatigabatur. Primum symptoma locale in ore apparuit gingiva dentium caninorum ulcerosa atque dolente. Mox tota gingiva decolor et caerulea facta tumuit, ita ut paullo post pharynx afficeretur. Aegre manducabat et hauriebat. Os malum habuit odorem atque saporem. Appetitus plane sublatus est. Prima hebdomade usque ad diem Lunae aegrotus nondum lecto tenebatur. Ordinabatur a medico quies, frigida potulentia atque medicina fusco colore. Die Mercuri atque diebus sequentibus primum in extremitatibus inferioribus, deinde in dorso, in brachiis, in conjunctiva ecchymoses exstiterunt, quae celerrime atque vehementissime dilatatae sunt. Simul etiam sedes cruentae atque diarrhoicae apparuerunt et sputa cruenta exscreata sunt. Praeter noctis quietem turbatam, qua aegrotus ex die Solis paene tota

eget, et molestias ex ore affecto enatas de nullo alio queritur organo. Neque capitis neque pectoris neque ventriculi symptomata sunt conspicua.

Nonnunquam in articulis nonnullis, praesertim in humeris atque in extremitatibus inferioribus, sentiuntur dolores.

Status praesens. Die 18 mensis Mai. Ad lectum aegroti consistenti odor teter atque foetidus occurrit. Nutritus malus, cutis flava. Facies praecipue sub superciliis obtecta maculis subrubris, quae accuratius perscrutanti suggilationes sese praestant. Conjunctiva palpebrarum et bulbi etiam ecchymosibus sparsa est. E gingiva facile sanguis fluit, lingua valde obtecta. Membrana oris mucosa colore sordido-pallido paullulum tumuit. In humeris multa extravasata, e quibus nonnulla jam praebent flavum colorem. Per dorsum usque ad anum pertinent magna vis macularum, forma rotunda, colore badio, magnitudine grossi usque ad palmae. Quae in collo et in ventre conspiciuntur, minore sunt amplitudine. In extremitatibus inferioribus praeter exspectationem paucae articulationem genu circumsident forma lenticulari. Et maxilla inferior et lingua tremunt, collum, macie torridum, cylindri forma, manu infra latyngem compressum dolet. Musculi sterno-cleido-mastoidei prominent. Glandulae cervicales et submaxillares magnitudine pisi usque ad fabae tumidae sunt. Soni carotidum clari, nullus strepitus jugularis. Vasa colli pulsare licet conspicere; glandulae thyreoideae lobus sinister aliquid hypertrophicus. — Thorax tenuis, macer, longitudinis mediocris, in parte superiore sinistra magis elevatur, quam in dextra. Ibi impressio cernitur, auditur respiratio vesicularis imminuta. Sonus percussionis obtusus.

Elevatio cordis utrimque sterni inter spatium intercostale tertium et quartum conspicitur. Sonus percussionis non magis, quam solet, obtunditur.

In pectore posteriore dextro deorsum usque ad costam quartam sonus percussionis obtusus et respiratio bronchialis.

Sonus percussionis in linea papillari per jecur obtusus a costa sexta deorsum trans marginem thoracis norma unius pollicis prominet.

Sonus percussionis liene in longitudinem pollicibus 3, in latitudinem pollicibus $3^1/_2$ obtunditur.

Temp. cut. vesp. 39°,3 C., Pulsus 120.

Ordinantur: Aqua limonata citrina; Cerevisia Costritiensis; lavatio aquae tepefactae, gargarismata alumine instituenda.

Die 19 m. Mai. Nox per animi perturbationem et dolores locorum ecchyticorum cubitu effectos male peracta. Apparuit excretio pertenuis, odore foetida, sanguine tincta. Loci frontis suggitati palluerunt, oculi dolent et lucem refugiunt.

Per totum diem parum aegrotus edit, vehementi tussi vexatus. Sputa ejiciuntur mucosa et sanguinolenta. Post meridiem duae sedes tenues exciderunt, sanguine permixtae. In dorso nonnullae novae ecchymoses exsistunt.

Temp. cut. mat. 37°, 8 C., Pulsus 132. Temp. cut. vesp. 39°, 0 C., Pulsus 138.

Ordinatur: Velamen membranae mucosae linguae et oris manu removendum. Os solutione argenti nitrici per penicillum obducitur.

Die 20 m. Mai. Morphi grano quadranti dato nox bene processit. Molestiae hauriendi aliquid remissae sunt. Sputa adhuc copiosissima.

Post meridiem multum tussit aegrotus et sputa ejicit. Dolores oris; quatuor sedes tenues sanguine admixto apparuerunt. Odor ex ore penetrans teterrime olet.

Temp. cut. mat. 39°,2 C., Pulsus 138. Temp. cut. vesp. 39°,2 C., Pulsus 144.

Die 21 m. Mai. Aegrotus noctem paene totam inquietam habuit, per tempus matutinum demum paullulum dormivit. Tussis satis vehemens. Dolores cubanti adhuc remanent. Nullus appetitus. Haurire sine multis molestiis potest. Pharynx perrubros ecchyticos praebet locos velamine crasso sordido-pallido obtectos. Pulsus durus et celer. Multis locis ecchymoses palluerunt, multis aliis novae aliae suggilationes sub epidermi exstiterunt. Arcus glossopalatini crasso velamine flavo colore obtecti, itemque tonsillae in marginibus crustis gangraenosis.

Ordinatur: Contra anginam gangraenosam aqua chlorata et aqua destillata aa; antea autem crustae gangraenosae manu solvendae.

Nihil accipit aegrotus nisi lac, jus ovo admixto. Cibum solidum haurire nequit. Crustae gangraenosae adhuc firme affixae sunt atque parvulae tantum partes forficula removentur, nisi forte vim adhibere atque sanguinationem elicere vis. Per totum diem quatuor sedes apparuerunt, quarum ultimae aliquid faeculentiores sunt neque sanguinem continent.

Temp. cut. mat. 38°, 6 C., Pulsus 126. Temp. cut. vesp. 39°, 2 C., Pulsus 144.

Ordinatur: Decoct. cort. chin. (ʒ jj) ℥ v; Acid. sulph. dilut. ʒ j, Syrup. cort. aurant.

Die 22 m. Mai. Per noctem satis quietis. Ex vespere hesterno hora 8 nulla excretio adfuit. Aquam chloratam bene

adhibere non par fuit, cardialgia, postquam nonnullae guttae in oesophagum accesserunt, enata.

Post meridiem sedes sine ullo sanguine. Appetitus plane nullus sentitur. Dolores ut antea.

Temp. cut. mat. 38°, 0 C., Puls. 138. Temp. cut. vesp. 39°, 3 C., Puls. 144.

Die 23 m. Mai. Nox nihil habuit incommodi. Nulla excretio adfuit. Sitis mediocris. Propter lentitiam pituita haud facile discutitur. Tonsillae, uvula, arcus glosso-palatini adhuc decolores sunt adspectu. Oedema mediocre partium faciei inferiorum.

Per diem tres sedes fuerunt non sine sanguine admixto. Et haurire et loqui aegrotus facilius potest. Cum partes gangraenosae tardiuscule tantum abstruderentur, in velamine palatino et sub lingua magna vis parenchymatis mortificati forficula remota est.

Temp. cut. mat. 38°, 4 C., Pulsus 134. Temp. cut. vesp. 39°, 4 C., Pulsus 138.

Die 24 m. Mai. Nox non male peracta, interdum tussi vexata. Artus singuli non amplius dolent praeter brachium dextrum, quod uno loco cutem habet gangraenosam. Queritur de appetitu deficiente neque loquitur hauritque nisi moleste. Denuo magna vis parenchymatis mortificati removetur. In posteriore pharynge vestigia magnae jacturae parenchymatis remanent.

Post meridiem tres sedes tenues flavi coloris nullum sanguinem continentes adfuerunt. Tussis non remissa est. Dentium summa pars mobilis. Locis compluribus gingivae partes decolores gangraenosae arcte cum tela adhaerent. Ex pharynge nonnullae minus adhaerentes removentur. In regione epigastrica nonnihil doloris. Appetitus excitatur,

sed solidos cibos aegrotus mandere et haurire nondum potest.

Temp. cut. mat. 37°,8 C. Puls. 138. Temp. cut. vesp. 39°,2 C. Puls. 138.

Die 25 m. Mai. Queritur aegrotus de iisdem, quibus antea. Nox satis quieta. Nonnullae partes gangraenosae ipsae abstrusae sunt atque tussi ejectae. Per noctem nulla excretio.

Per diem antemeridianum excretio sine sanguine adfuit. Tussis permagna. Aqua bibenti saepe per narem redit. Lingua tremit. Pituita in collo coarctata tussim gignit.

Temp. cut. mat. 38°,4 C. Puls. 126. Temp. cut. vesp. 39°,4 C. Puls. 150.

Die 26 m. Mai. Queritur aegrotus de horripilationibus iterum ac denuo redeuntibus. Pars faciei sinistra aliquid tumida. Saepe somno capitur, lassitudine occupatur. Salivatio est vehemens.

Pars uvulae gangraenosae secta est.

Magna gangraenosa tela remota non mediocris recreatio respirationis est effecta.

Horripilationes denuo adfuerunt. Una excretio non copiosa sine sanguine admixto. Margines gangraenosae telae oedematici sunt. Molestiae in hauriendo sensae non remissae sunt. In latere dextro pectoris superioris loco, ubi sonus percussionis obtusus est, auscultatio praebet respirationem bronchialem.

Temp. cut. mat. 38°,2 C. Puls. 132. Temp. cut. vesp. 39°,2 C., Puls. 138.

Die 27 m. Mai. Aegrotus noctem satis quietam, interdum tussi turbatam habuit. Queritur gulam etiam pituita

obductam esse, quae discuti nequit. Per noctem nulla sedes. Dolores pectoris sentiuntur; respiratio gravis est. In latere dextro posteriore sonus percussionis obtusus; respiratio incerta cum tenuibus rhonchis humidis. In pectoris parte anteriore respiratio bronchialis cum rhonchis. Sonus cordis clari.

Post meridiem nulla excretio, tussis eadem. Aegrotus vehementer queritur de dolore gingivae et linguae inferioris. In pectoris parte dextra anterioris rhonchi cavernosi, in posterioris parte dextra rhonchi asperi et sicci.

Temp. cut. mat. 38°,4 C., Puls. 126. Temp. cut. vesp. 39°,0 C. Puls. 126.

Die 28 m. Mai. Per noctem nulla excretio; tussis vehemens et gravis. Aegrotus melius haurit, gingiva valde dolet. Facies plus quam antea tumida, nunc etiam pars sinistra; linguam per dolorem vix potest exserere. Nec pectus neque singuli artus amplius dolore afficiuntur. Pharynx posterior purus est, sed velum palatinum nonnullas habet partes gangraenosas; una ejusmodi sub lingua removetur. Linea terminalis acido muriatico diluto per penicillum obducitur.

In pectore symptomata ad pejus inclinata sunt.

In parte antica usque ad jecur sonus percussionis exigue obtusus, respiratio incerta. In parte pectoris posteriore inferiore etiam sonus percussionis exigue obtusus, sed nulla respiratio bronchialis.

Vespere. Post meridiem duae sedes molles nullo sanguine admixto. Tussis multa atque vehemens. Uvula atque arcus palatini sunt destructi; odor ex ore acerrimus aliquid remissus est. Articulatio verborum vehementer impedita est substantia mollis palati vehementer destructa.

In parte dextra superiore sub clavicula tinnitus metallicus, respiratio cavernosa atque bronchialis auditur. Sputa copiosissima salivatione valde aquosa atque globosa. Sitis deminuta. Abdomen compressum dolet. Mala sinistra vehementer infiltrata, dolore affecta. In membrana malae mucosa ulcus conspicitur gangraenosum.

Temp. cut. mat. 37°,5 C., Puls. 120. Temp. cut. vesp. 38°.5 C. Puls. 132.

Die 29 m. Mai. Per noctem aegrotus satis quiete dormivit, tussi minus turbatus. Praecipue queritur de collo neque pituitam exscreare potest. Vespere hesterno sedes diarrhoica adfuit. Linguam ex ore exserere nequit.

Post meridiem sedes adfuit.

Temp. cut. mat. 37°,6 C., Puls. 126. Temp. cut. vesp. 39°,1 C., Puls. 130.

Die 30 m. Mai. Per noctem parum somni propter magnam pituitam. Aegrotus omnino melius sibi fieri arbitratur. Nonnihil appetitus auctus est. Quùm panem siligineum est, per narem reddit, quia Choanas velo palatino prorsus recludere non potest.

Parum faécium apparuit. Tussis aliquantulum remissa est. Aegrotus minus moleste morbum fert; linguam exserere potest; aliquid recreatum se sentit. Decubitus in trochantre majore dextro.

Temp. cut. mat. 38°,2 C., Puls. 126. Temp. cut. vesp. 39°,6 C., Puls. 144.

Die 31 m. Mai. Per noctem aegrotus propter tussim vehementem parum dormivit. Ex mane hesterno nulla sedes. Appetitus melior fit. Sputa copiosa, mucoso-purulenta, sanguinolenta. Pharynx nunc paene tota expurgata bonis granulationibus obtecta. Desunt ambo arcus palatini, tonsillae,

uvula. In membrana mucosa labii inferioris, deinde in fundo cavi oris dextrorsum a lingua, tum in membrana mucosa malae sinistrae magna partim gangraenosis partibus tecta partim pura conspiciuntur ulcera, quae cotidie plus semel acido muriatico diluto rodenda sunt. In urina nullum albumen.

Meridie exstitit copiosa haemoptysis, quae vesica glacie impleta in latere dextro, ubi est caverna, applicata substitit. Pulsus frequentes et parvi. Satis appetitus. In latere dextro infra claviculam multi rhonchi audiuntur. Tussis acerrima.

Temp. cut. mat. 38°,6 C., Puls. 132. Temp. cut. vesp. 39°,0 C., Puls. 144.

Die 1 m. Juni. Noctem aegrotus male peregit multum tussi vexatus. Noctu iterum haemoptysis exstitit minus copiosa quam pridie. Excretio mollis apparuit.

Vespere male se habet, queritur de doloribus in pectore sinistro. Sputa adhuc sanguinolenta. Ulcera oris pura; odor multo minus teter atque foetidus.

Temp. cut. mat. 37,°4 C., Puls. 130. Temp. cut. vesp. 38°.2 C., Puls. 130.

Die 2 m. Juni. Aegrotus aliquid dormivit. Queritur de iisdem.

Ord.: Morph. acet gr. jjj.,

Aqu. Laurocer. — Syrup. simpl. — Aqu. destill. aa ℥β. *Dreistündl. 1 Kaffeelöffel.*

Vespere rhonchi procul audiuntur. Queritur de respiratione impedita. Aegroti debilitas crescit. Tussi vehementissima, sputa maxime sanguinolenta. Dolores in latere pectoris dextro sub brachio sentiuntur.

Temp. cut. mat. 37°,9 C., Puls. 124. Temp. cut. vesp. 38°,6 C., Puls. 144.

Nocte postera hora IV aegrotus morte absumptus est.

Sectionis descriptio 32 *horas post mortem institutae.*

Cadaver mediocris magnitudinis, mali nutritus. Cutis flavescente colore, maculis caeruleis adspersa. Cutis abdominis aliquid prominentis colore viridi. Rigoris mortis haud multum observatur. In regione cubiti dextri macula nigra, sicca, magnitudine thaleri conspicitur.

Fornix crani assymetricus, tuber parietale dextrum aliquid prominens. Ossa capitis satis crassa. Sinus longitudinalis superior et transversus oblongula mollia praebent coagula. Cerebri substantia perquam emollita. Pia mater hyperaemica paullulum turbata. Substantia ventriculorum et corporis callosi mollis. In arteria basilari nigrum coagulum observatur.

Sectio thoracis. Musculi pallidi, tela cellulosa nihil continet adipis. Venae jugulares nulla habent coagula. In cavo pleurae sinistro flavum serum ponderis circiter unciarum octo invenitur. In parte sinistra lobi superioris adhaesiones pleurae faciles solutu.

Volumen pulmonis omnino satis amplum.

Pleura ubique massis recentibus flavis granulosis interjectis est turbata. In apice primo conspectu sese offerunt constrictiones cicatricosae formam funiculorum praebentes; persecti pulmonis in apice glomeruli volumine nucis avellanae inveniuntur tuberculorum. Pars superior omnino aëre est completa, partis inferioris complexus tuberculorum sunt densiores, quae singula cano sunt colore. Paucae conspiciuntur cavernae, quarum una volumine nucis juglandis, ceterae ad magnitudinem avellanae accedunt. —

In lobo inferiore duo complexus tuberculorum adsunt volumine nucis juglandis, quae in eo sunt, ut liquescant.

Ceterum parenchyma satis aëre completum tuberculis vacat.

Pulmo dexter ubique pleurae costali firmiter adhaeret. Lobus superior deminutus, colore caeruleo, multis constrictionibus cicatricosis. Lobi inferiores magnitudine ampliores. In apice caverna magnitudine ovi gallinacei cum parietibus sinuosis invenitur. Prope abest alia magnitudine nucis juglandis massam tuberculorum emollitorum coloris viridis continens. Maxima pars inferior solida caeruleo- et subfusco-maculata, cum bronchiis dilatatis.

Lobi medii et inferioris pars superior est subnigra perspicue prominentibus granulationibus partim canis partim flavis obtecta. Membrana mucosa bronchialis colore fusco aliquantum tumuit, pituita glutinosa obducta. In arteriarum ramificationibus nonnulla inveniuntur mollia coagula.

Pars pericardii visceralis omnino turbata. Cordis volumen mediocre; musculatura cordis subfusco colore. In ventriculo et atrio sinistro satis copiosum coagulum. In dextro valvulae nullo modo affectae sunt, coagula multa nigricante colore. Valvulae arteriarum normales.

Hepatis lobus dexter volumine aliquid adauctus. Acinos accurate distinguere licet.

Parenchyma leve, hyperaemicum. Bilis fluida colore malorum aurantiorum.

Lien aliquid adauctum, satis solidum, anaemicum.

Renum sinister laxus non accedit ad volumen normale. Capsula laevis, singulis locis turbata aegre distrahitur. Substantia anaemica, laxa. Corpuscula Malpighii valde prominent.

In dextro eadem observantur.

Ventriculi membrana mucosa tumuit, non multa pituita obtecta, flavis maculis notata.

In parte intestini ilei inferiore nonnulli folliculi agminum Peyerianarum ad magnitudinem capitelli acus tumuerunt, quorum in summis saepe foraminulum observatur. Membrana mucosa intestinalis pallida, mediocriter pituita obtecta. In ileo quod inest tenue atque liquidum, flavo colore.

Membrana mucosa intestini cocci perquam tuberosa partim flavis parvis pseudomembranis obtecta, partim destructa, ita ut protuberantia nisi reliquias membranae mucosae non praebeant.

In colo transverso ulcera rara sunt, cinguli instar formata, marginibus laxis nonnunquam fluctuantibus.

In colo descendenti, praesertim in flexura, sigmoidea ulcera magnitudine thaleri, in quorum fundo membranam muscularem licet perspicere.

Vesica urinaria turbatam urinam flavi coloris continet; membrana mucosa pallida.

Paucae glandulae mesentericae magnitudine fabae tumidae sunt.

Membrana laryngis mucosa valde pigmentata nihil praebet ulcerum.

Et in radice linguae et sub lingua ulcera adsunt magnitudine floreni.

In gingiva dextra superiore et sinistra inferiore ulcera conspiciuntur. Uvula abest. Pars veli palatini prorsus evanuit.

Ac primum quidem hujus casus aetiologia ab usitata multum discrepat. Nam cum libris, qui sunt de pathologia, omnino in mala conditione, ut in domo humida, in frigido atque humecto aëre, in nutritu exili, forte etiam in sollicitudinibus animum prementibus causam scorbuti ponere nos doceamur, hoc in casu ejusmodi plane nihil observavimus. Aegrotus enim, quamvis magno operis labore occuparetur, fortunatis tamen rebus usus est, victu largo, quiete non turbata, aprica siccaque habitatione. Itaque ut alias quaeramus causas, primo loco commemorandus est omnino genius epidemicus, diathesis scorbutica. Quae sententia saepe lacessita est, saepe ad auctoritatem revocata.

Negari certe nequit, tunc temporis quasi quandam inclinationem ad extravasationes sanguinis fuisse conspicuam. Nam cum rarissime per nostras regiones status scorbutici observari soleant, illo tempore in corporibus permultorum hominum, qui prorsus de aliis rebus querebantur, apparuerunt petechiae.

Ipse unus ex amicis meis, juvenis validus atque robustus, aetate viginti trium fere annorum, hoc tempore acerrimo morbo maculoso affectus est. Cum sententia nullis argumentis amplificata nihil emolumenti praebeat, locus non est, hanc rem amplius explicandi. Quamvis sine dubio, si diutius observaremus, plures invenire causas nobis liceret, tamen haud scio an sufficiat commemorasse nonnunquam ejusmodi diathesin haemorrhagicam transitoriam exsistere. Qua in re conferre licet W u n d e r l i c h Path. IV, 581 pp.

Maximi autem momenti est alterum id, quod veram esse et propriam causam statuimus, quod ex tribus jam annis tuberculosis affuit, quae affectio aegroti etiam mortem ei adscivit. Inter utriusque morbi processus similitudo quae-

dam cognoscitur, utrumque in uno homine adesse posse facile intellegitur. Uterque est morbus marasticus, uterque praebet sanguinis quam vocant dissolutionem, quae quali sit natura, qui operam dant rebus chemicis adhuc inter se certamine distrahuntur. Sed plurimi consentiunt in sanguine scorbuticorum copiam fibrinae deminutam atque eo extravasationes sanguinis effectas esse, ita ut status scorbuticus saepe pro hypinosi accipiatur. Veresimile est defibrinationem una cum dissolutione corpusculorum sanguinis fieri. Tuberculosi ineunte fibrinae copiam auctam esse observatur, atque processus, quo formantur tubercula, adeo ad similitudinem inflammationis oreuntis accedit, ut permulti diversas tuberculorum species chronica inflammatione effectas arbitrentur. Cum autem tuberculosis aliquantum temporis duravit, sanguinem semper fibrina carere, sive hydraemicam esse apparet, unde satis liquit, quomodo ex tuberculosi diutius permanente scorbutum exoriatur. Inter scriptores, quos consulendi causa adii, unum repperi, qui similitudinem inter dissolutionem sanguinis scorbuticam et tuberculosam intercedere disertis verbis commemorat. (Cf. *G. v. Samson-Himmelstiern*, *Vergleichende Beobachtungen über den Scorbut vorzüglich in pathologisch-anatomischer Beziehung. Berlin* 1843, p. 81. 82.) A ceteris qui observaverunt in sectionibus tantummodo quasi in transitu dicitur interdum infiltrationes tuberculosas in pulmonibus esse conspectas. Epidemiam scorbuticam longe divulgatam perscripsit Woldemarus de Samson-Himmelstiern (cf. ejusdem *Beobachtungen über Scorbut*, *Häser's Archiv* V, 496 pp.). Praebet descriptionem nonaginta duorum scorbuticorum, quorum quinquaginta mortui secti sunt. Quinque autem infiltrationes tuberculosas in pulmonibus praebuerunt. In epide-

mia scorbutica in ultima Africae ora meridionali, quae „Capland" vocatur, exorta una sectio instituta est, quae quidem tubercula in pulmone fuisse ostendit. (Cf. *Berichte englischer Militärärzte über den Scorbut, welcher* 1836 *im Capland herrschte, mitgetheilt von Jos. M'Grigor*). In libris, qui sunt de pathologia, nunquam tuberculosim una cum scorbuto exsistere commemoratum inveni, sola excepto compendio Leubuscheri (*Handbuch der medicinischen Klinik, I,* 109), qui scorbutum in primarium et senundarium dispertiens secundarium illum nominat, qui aliis morbis nutritionem funditus percutientibus efficitur, quales sunt tuberculosis, purulentationes aliae.

E monographiis autem cum paucae mihi praesto essent, pro inopia mearum observationum iis literis, quibus fons perfectae hujus morbi cognitionis continetur, exquisitius studere non licuit; certe autem huic rei perspiciendae operam navandam esse censco.

Altero loco proprium quiddam hujus casus est, quod ecchymoses in facie et in dorso apparent, desunt fere omnino in inferioribus extremitatibus, id quod alias plane diversum esse solet, cujus rei quidem causam haud scio an nemo possit investigare.

Neque vero id a lege naturae, quae ex observationibus profecta est non aberrat, quod articulationes, praecipue articulatio genu, intumescere solent, id quod aut ex transsudatione in articulationem ipsam emanat, aut ex infiltratione in molles corporis partes, praecipue in intermuscularem telam cellulosam, ex illius massae infiltratione, quam vocare placet *„scorbutische Formation."*

Deinde lienis volumen ut in omnibus morbis marasticis ita etiam in scorbuto vehementer auctum esse omnes viri

medici consentiunt, id quod, quamquam quem nos tractamus sine dubio in acerrimis habendus est, in nostrum tamen casum minus cadere videtur. Testis angina diphteritica. Ulcerationes gangraenosae tantae fuerunt, ut uvula tota destructa sit, velique palatini pars evanuerit itemque arcus palatini sint deleti.

Sedes cruentae sine dubio ex scorbuto natae sunt; nam infiltrationibus tuberculosis intestinorum quamvis omnino sedes diarrhoicae excidant, raro tamen sanguine atque exiguo tantum permixtae sunt, cum autem scorbutum decrevisse cetera quoque symptomata edocerent, sedes cruentae sistebant. Infiltrationes intestinorum sectione facta ulcerationes tuberculosae cognitae sunt.

Jam quod ad febrim attinet, in libris pathologicis commemorari solet scorbutum febri plane carere, et nonnisi paullo ante mortem febrim exsistere consumptivam. Per totum tempus, per quod aegrotus in nosocomio versabatur, febrim haud levem paucis remissionibus observavimus (temperatura enim paene semper normam duobus gradibus excessit). Itaque haud scio an febrim tuberculosi adductam esse statuere liceat. Cujus sententiae corroborandae tamquam cumulus accedit, quod symptomatibus scorbuticis deminutis vis febris non debilitata est.

Jam ut de tractatione aegroti qua usus sit loquamur, primo loco commemoratu dignum est, quod tamquam summum et gravissimum videbatur et ingentem prostrationem virium levare et diarrhoeam vires corporis destruentem supprimere. Itaque ordinatum est remedium tonicum atque adstringens: cortex chinae reg. c. acido sulph.

Deinde quam maxime angina diphteritica tollenda videbatur, ne ulcera latius atque altius serperent, neve per sanationem nimis magnae exsisterent constrictiones cicatricosae.

Itaque culter admotus et caustica adhibita sunt. Bonus eventus non defuit, nam ut ex sectione facile intelligis, ecchymoses evanuerunt, dolores singulorum membrorum absumpti sunt, et quod attinet ad anginam, partes gangraenosae solutae, in diversis locis expurgatae pharyngis bonae granulationes conspiciuntur.

In illis quoque scorbuticis, qui non sunt tuberculosi, remedia tonico-amara non sine bono eventu adhibita esse videntur, quippe quae a therapeutis optima commendantur. Illa remedia ex familia cruciferarum, quae cibaria habentur, adjuvantia ordinantur, etiam potulenta acidula, quae aegroto afferunt recreationem. Quamquam equidem ipse non multis experimentis eruditus sum, tamen, cum scorbutum in morbis marasticis ducendum sit et nisi notabiles contraindicationes adsint, in illis ratio atque tractatio tonica maxime sese praestet probabilem, scorbuticis ordinare cum tonica tum maxime praeparata chinae par esse censeo.

Eventus minus prosperi cerevisiarum faecibus videntur esse effecti, quas quidem adhibendas Samson de Himmelstiern in libro suo supra laudato (l. c. p. 527) magnopere commendat, quasque remedium specificum in scorbuti morbum esse ratus vel in diarrhoeam scorbuticam salutiferas esse contendit. In eo, quem hic tractavimus, aegroto ob ulcerationes intestinales haud facile cuiquam faecibus uti in mentem venire potuit. —

Neque in tuberculosim aliam ingredi potuisses rationem, quam ut quam maxime vires aegroti conservares, dolores levares, haemoptyses supprimeres.

Theses.

I.

Sine albuminuria nulla eclampsia.

II.

Placenta adhaesa manu est solvenda.

III.

Syphilis sine contagione nasci potest.

IV.

Tuberculosis incipiens quominus ferrum ordinetur non impedit.

V.

Sententia, qua statuitur therapia et rationalis et empirica, falsa putanda.